

LIBER XXVII.

I. FAUSTUS dixit : « Si natus non est Jesus, nec passus est : si autem passus est, ergo et natus est. Non vobis expedit, mihi credite, in his rebus consequentiam quærere naturæ; alioquin infirmabitur omnis vestra fides. Nam et vos Jesum ex virgine natum sine viri coïtu creditis, et si ex consequentibus priora probanda sunt, erit hoc falsum. Poterit enim et vobis responderi in hunc modum, quia si natus est ex foemina Jesus, ergo et seminatus ex viro est : si vero seminatus ex viro non est, ergo nec natus ex foemina est. Potuit autem, ut vos creditis, nasci non satus : quare ergo non potuerit et pati non partus? »

II. Augustinus respondit : Nemo tibi proponit quod tibi proponis, nisi imperitus quem decipis, non instructus a quo convinceris. Nam Jesus et nasci potuit non satus, et pati non partus : sed unum horum voluit, alterum noluit. Nasci enim non satus voluit, pati autem non partus noluit : quia partus est passus. Dicis mihi : Unde scis? Quia hoc in Evangelio veritatis lego. Si autem tibi dicam : Unde scis ista quæ dicis : Manichæi mihi opponis auctoritatem, et dicis esse in Evangelio falsitatem. Ego autem Manichæo ista dicenti non crederem, nec si non mihi Christum mentitum esse laudaret. Quod quidem in Christo non invenit, sed quid ipse diligit prodit.

LIBER XXVIII.

I. FAUSTUS dixit : « Sed non poterat mori, nisi natus esset. Et ego respondeo : Nec nasci poterat, nisi Deus non esset : aut si potuit et Deus esse et nasci, quare non et non nasci potuerit et mori? Vides ergo utile satis non esse, in his consequentiam quærere, aut argumentis anniti, cum de rebus agitur quæ pertineant ad Jesum. Sed quærendum potius est, quid ipse de se, quidve Apostoli sui de eodem prædicarint. Ipsaque adeo pertractanda genealogia est, et videndum si sibi conyeniat, non ex conjectura passionis, nativitatis ejus exquirere veritatem : quia et pati non natus potuit, et natus minime pati; præsertim ipsis vobis fatentibus Deo esse impossibile nihil : quod erit et ipsum falsum, si hoc constiterit non potuisse mori non natum. »

II. Augustinus respondit : Iterum ac sæpe tibi proponis, quod non audis ab eis a quibus confutaris. Nemo tibi dicit : Non poterat mori, nisi natus esset : quia mortuus est Adam, quamvis natus non fuisset. Sed dicitur tibi : Natus est, quia hoc sanctum Evangelium, non nescio quis hæreticus loquitur : mortuus est, quia hoc in sancto Evangelio, non in libro alicujus hæretici legitur. Sed tu qui prohibes argumentari, cum de rebus agitur quæ pertinent ad Jesum, et quærendum censes quid ipse de se, quidve Apostoli sui de eodem prædicarint, cum cœpero Matthæi Evangelium recitare Apostoli ejus¹, ubi narratio nativitatis ejus tota

¹ Matth. 1, 18.